Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sicut solent homines in calidissimis balneis sudare cepit. Mirantur omnes aliqui sudorem exigebat vivere eum credentes. Sed cum multis modis probatum esset quia non de vivo corpore ille sudor profluerit et hoc sine providentia dei non fuerit visum est omnibus ut illud tanti viri corpus non negligeretur sed a clericis per proximos .xxx. dies incessanter custodiretur. Deputatis igitur custodibus post horam nonam sepulchrum clauditur. Cum igitur clerici vice sua in cellula ubi humatum erat corpus viri dei psalmos canerent unus negligentior dormitare cepit. Qui igitur cum depressus somno audivit quasi de celo ingentem sonitum supervenisse ipsi loco quo territus aliis excitantibus est expergefactus. Oculis igitur apertis vix sensum recepit. Sed paralisi per horas officium lingue perdidit. Admonitus igitur ab aliis ut quia non poterat sermone confessionem faceret in corde. Ante sepulchrum viri dei veniam petiit pectus tundit sicque eius meritis absolutionem lingue recepit. Et que sibi contigerant enarravit. Cumque eadem sibi contigissent item dormitanti omnibus nimio timore perterritus extra cellam ad pedes scilicet viri dei deinceps psallere placuit. Credimus siquidem angelicam visitationem advenisse quam mortalia corpora non poterant ferre. Intra tricesimam atque obitus viri dei Symeonis diem multus populus cum cereis et aliis donis ad sepulchrum cepit confluere.

Quedam igitur anus de civitate que per plures annos curva incedebat et se omnino erigere non poterat cum reliqua multitudine venit et ceteris ascendentibus ad sepulchrum viri dei et ipsa si ascendere posset temptabat. Surrexit igitur toto corpore ascendit viro dei gratias reddidit. Sicque mirantibus civibus qui eam noverant sana et incolomis ad domum remeavit. Multi etiam infirmi variis doloribus et infirmitatibus detenti in ipsa die sunt liberati. Ex tunc sepulchrum viri dei a populo frequentatur et veneratur. Cum igitur commodus ascensus in edificio turris pararetur quedam ligni a multis traheretur et cum iam in altitudine elevaretur rupto fune cepit multitudini qui convenerant et subtus stabat mortem minari. Exterritis omnibus atque ut vir dei Symeon adiuvet aclamantibus mirabile dictu quasi manibus sustentaretur fluitando paulatim deponitur atque multitudine que convenerat utrimque locum dandi ad terram sine periculo acclinatur. Qui periculum evaserunt laudes Christo referunt et Simeoni tanti miraculi ministro gracias reddunt. Hec duo miracula placuit inserere que idem ipsi qui sanati sunt testificantur in eius vita contigisse:

Cum per longum tempus quedam femina Cecilia dicta valida invalitudine corporis vexaretur et pro nimia egritudine oculorum visu omnimodis privaretur quadam nocte vidit in somnis quia si de manu viri dei Symeonis cibum sumeret ab ipso morbo libera fieret. Mane facto maritum interrogat quis Symeon esset dicens se illum per visionem vidisse et si de pane illius gustasset sibi salutem promissam esse. Ille saluti uxoris congaudens cepit diligenter inquirere de viro dei Symeone. Dictum est sibi a quodam viro Gozelone qui … is esset quod cum domino episcopo de Ierosolimis venisset et cum eo maneret. Deo gratias ille refert visionem sue uxoris [illegible] profert et ut de manu eius cibum accipere mereatur humiliter precatur. Clericus per ordinem viro dei nunciat et quod petebatur impleat multum rogat et vix impetrat. Cum vero panem et piscem a viro dei cum benedictione transmissum iam desperata et pene mortua mulier accepisset panem comedit et de pisce oculos inunxit. atque ita obdormivit. In gallicantu expergefacta et cum lumine oculorum plena corporis sanitate recepta ad opus resedit et mirantibus amicis Ihesu Christo gratias reddidit. qui per merita famuli Symeonis perfectam sanitatem sibi recessisset.

Quidam puerulus nomine Bezelinus ydropis morbo miserabiliter distentus cum etiam a medicis desperaretur venit. enim umbilica et queque interiora ita intumuerunt ut vix incedere stare vel sedere valeret petiit se ad virum dei Symeonem deduci dicens quod medici non possent illum posse. Adductus igitur per tres dies illius potu potatus quarto demum die cepit immeliorari sicque oratione viri dei restitutus est pristine.

Quedam mulier de metensi pago sanitati progenita que manum dextram digitis in palmo adherentibus aperire numquam poterat ad sepulchrum viri dei Symeonis venit. que extensis nervis et rupta cute sub omni celeritate medelam promeruit.

Eodem tempore quidam puer mutus ad se[illegible] it. pulchrum viri dei adductus. officio lingue est restitutus. Alius similiter mutus cuiusdam Adelhardi presbiteri puerulus dum ad virum dei sepulchrum